

Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM
SEPTIMA

DE VIRTUTUM DIVISIONE GENERALI & FORTITUDINE.

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinbothe
Altenburgô-Misnici,

Placidæ disquisitioni

ad diem Aprilis horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

LUCAS BACMEISTER Lunæburgensis.

RostochI, Literis hæredum Richelianorum,
Anno clɔ lɔc xxxvi.

Cum Deo!

I.

DE numero Virtutum maximè inter ſe diſcrepant Politici. Notum enim eſt, quid eruditionis Græcæ δαιμόνιον *Plutarchus in l. de Virtute Morali* hac in re præſtiterit, & quam diligenter veterum Politicorum opiniones congesſerit, ut oleum & operam planè perdere videar, ſi in iis diu immorarer.

2. *Chryſippum* enim innumerabiles virtutes, vel, uti Plato loquitur, examen virtutum introduxiſſe, & ſibi concedendas poſtulaſſe ex l. c. nemini non conſtat ἀπ' ἐσθλίων ſc. ἐσθλότητα: â χάρειεν χαριεντότητα: à μέγαν μεγαλότητα, cui ſententiæ è diametro illa opponitur, quam *Menedemo Erethriensi*, & *Ariſtoni Chio*, *Zenoni Cittico* & *Chryſippo Plutarchus* ibid. tribuit, qui cum Stoicis unam poſuerunt καὶ τὸ πλῆθος καὶ τὰς διαφορὰς τῶν ἀρετῶν ὡς μίας οὔσης, καὶ χρωμένης πολλοῖς ὀνόμασι, ſuſtulerunt. Quo etiam referendus eſt *Socrates* & *Apollophanes*, qui Ariſt. lib. 6. Eth. c. ult. §. 7. & *Laërtio l. 7. de vitis Philoſophorum c. 1.* authoribus μίαν τὴν ἀρετὴν τὴν φρόνησιν agnoverunt.

3. *Magirus* ſententiam hanc tolerandam arbitratur in tantum, ſi non in totum ratione ſcilicet prudentiæ, quam Pythagoræi propter arctiſſimum vinculum virtutum matrem appellarunt. Verum licet prudentia dux ſit & directrix virtutum moralium, ex principii tamen dirigentis unitate non ſtatim illorum, quæ diriguntur, unitas propugnatur, non aliter, ac unus princeps ſæpè diverſisſimos hominum ſtatus regere poteſt, ut tamen Milites vel Opifices, Medici nequaquam unus ſed ſpecie diſtincti homines ſint, qui alias atq; alias diſciplinas, agnoſcunt.

4. Nam morales virtutes objecto ſpecie diſtincto inter ſe

distingui statim videbimus. Ubi autem objecta specie diversa inter se pugnant, unitas habituum ejusdem rationis esse nequit, uti in lib. de animâ Interpp. prolixè demonstrant. Hinc etiam Prudentiam ex censu Moralium virtutum rejicere non erit difficile, quod etiam ostenderemus, nisi labore hoc nos sublevasset *Piccolom. grad. 4. c. 22.* ex quo illa, quæ omnibus obvia sunt, describere nolumus.

5. *Chrysippus* ideò autem meritò & nobis & Plutarcho malè audit, quod multis novis & absurdis vocabulis Politicam impleverit, quæ tamen quo ad rem ipsam nihil novi adducunt. Nam vel illa, quæ à Chrysippo enumerantur, virtutum nomine non veniunt, vel sub iis, quas Aristoteles posuit, optimè contineri possunt.

6. Scholastici nonnulli in quaternario virtutum numero sibi placent, quem quidam Patrum (inter alios *Ambrosius l. 1. Off. c. 24. & l. 5. in Lucam c. 6. §. Beati pauperes*) etiam sibi elegerunt. Imò in *Platone* passim, imprimis *l. 1. de LL.* hujus divisionis vestigia apparent, quemadmodum etiam illa delectatur *Cicero l. 2. de Inventione, Plotinus in l. de Virt. c. 3. Porphyr. in l. de occasionibus intelligendi, Marsilius Ficinus super convivium Plat. c. 5.* imò & *Aristoteles* ex aliorum tamen mente affert *l. 1. Rhet. c. 5.*

7. *Thomas* ita *1. 2. q. 61. a. 5.* hac de re philosophari videtur, ut quadruplices (quam tamen divisionem *Cajetanus* & ex eo *Greg. de Valentiâ Tom. 2. Disp. 5. q. 4. p. 3.* non virtutum diversarum sed diversarum virtutum rationum esse, quæ ipsæ possunt convenire virtuti eædem ac solum ratione & tanquam statu perfectiori vel imperfectiori differre, autumat) virtutes facit, Politicas sc: seu Civiles, Purgatorias, animi purgati & Exemplares. *Necessum enim est,* inquit Thomas, *ut anima ad exemplar aliquod in virtutum habitu comparando respiciat. Tale exemplar est DEUS, ad quem quando respicimus, benè vivimus Exemplar ita humanæ virtutis in DEO præexistat necessum est sicut in eo omnium rerum rationes præexistunt. Sic itaq; virtus potest considerari, vel prout exemplariter est in DEO, & sic dicuntur virtutes exemplares: sic ipsa divina mens dicitur in DEO prudentia; Temperantia, conversio divinæ intentionis ad seipsam, sicut in nobis Temperantia dicitur pro hoc, quod concupiscibilis conformatur rationi.*

rationi. Fortitudo DEI ejus immutabilitas. Justitia observatio legis æternæ in suis operibus: vel prout est in homine, aut prout se habet ad civilem societatem, & sic dicuntur virtutes politicæ, aut prout se habet ad divina, & sic tribuuntur eidem virtutes inter politicas & exemplares mediæ, quæ pro motus & termini diversitate duplices sunt, quædam enim sunt transcendentium & in divinam similitudinem tendentium, & hæ vocantur purgatoriæ s. purgatrices, quod animum à vitiosis affectibus & cupiditatibus liberent, sic prudentia, omnia mundana divinorum contemplatione despicit, omnemq; animæ cogitationem in divina solum dirigit. Temperantia relinquit in quantum natura ad corporis conservationem requirit. Fortitudinis est, non timere mortem s. recessum animæ à corpore & accessum ad superna: quædam vero sunt virtutes jam assequentium divinam similitudinem, quæ vocantur animi expurgati, quod prudentia sola divina intueatur, Temperantia terrenas cupiditates nesciat, Fortitudo passiones ignoret, Justitia cum divina mente perpetuo fœdere jungatur. Hasce virtutes inter, politicæ in homines, quatenus sunt animalia politica; Purgatoriæ quatenus sunt pii & ad cœlestem beatitudinem tendunt; Animi purgati in Beatos post hanc vitam. Exemplares in solum DEUM cadunt, unde Macrobius 1. de Somnio Scipionis c. 16. ait, Politicæ sive civiles virtutes passiones molliunt, secundæ (expurgatoriæ) auferunt, tertiæ (i e. animi purgati) obliviscuntur, in quartis (i e. exemplaribus) nefas est nominari.

8. Verum 1. DEO in sententiâ Peripateticâ virtutes Morales non attribuuntur, uti ipse Stagirita observavit *l. 10 Eth. c. 7.* quem locum eruditissimè explicat *Piccartus in Isag. f. 2.* habetq; nonnihil hac de re *Jacobus Martini Disp. Philosoph. Decad. 3. Disp. 3. q. 9.* 2. Posito etiam, quod divisio hæc non sit generis in species, sed ejusdem rei in diversos status, uti aliàs *Cajetanus & Gregor. de Valentiâ* loquuntur, adhuc tamen Thomas nondum potest excusari. Nunquam enim status tollit rem ipsam cujus est status. Atqui virtutes purgati animi prorsus indolem & naturam virtutum respuunt. Ex Temperante enim fit ἀναίσθητος, ex forti audax & sic consequenter. Inde 3. si morales tantũ numerare voluit (alias n. non omisisse sapientiã, quæ virtutis Intellect: nomine itidem insignienda) & *redun-*

dantiâ (Prudentia enim virtutibus intellectualibus accensenda est *l.6.Eth.c.3.* quæ hujus loci non sunt) & *defectu* (Duplices enim morales sunt, αἱ μὲν πρῶται & αἱ δὲ ταύταις ὑποτεταγμέναι notante *Laertio l. 6*; cardinales ac principes tantum à Thomâ positæ sunt, non autem singulæ) in Politicarum virtutum enumeratione peccat.

9. Alia Aristotelis mens est, quam & nos meritò tanquam ex tripode dictam veneramur, quâ moralium virtutum undecim exponuntur ἀνδρεία sit, σωφροσύνη, ἐλευθεριότης, μεγαλοπρέπεια, μεγαλοψυχία, φιλοτιμία, πρᾳότης, ἀλήθεια, εὐτραπελία, φιλία, δικαιοσύνη.

10. Virtutes igitur morales h. l. consideramus. Alias enim præter acquisitas etiam Physicis & naturalibus nomen virtutis *lib.6. Eth. c. ult.* tribuit. Et l. 1. Eth. c. ult. l. 2. c. 1. etiam Dianöeticos habitus virtutum appellatione quamvis secundum quid l. 2. Eth. c. 2 dignatur. Hinc etiam in Moralibus & Ethicis nonnihil discriminis agnoscit. Nam *l.2.Eth c.7.* virtutes distinguit in eas quæ moderantur affectus, & eas quæ moderantur actiones, ut & in imperfectas & inchoatas *l. 7. Eth.* In universalem & Particularem *lib. 5. Eth. c. 2.* In divinam seu heroicam & humanam *l.7.Eth.in pr.*

11. Numeri undenarii non unam Interpretes assignant rationem. Alii, *ut Heilandus p. 31.* dicunt alias versari circa hominis corpus, alias circa bona & mala externa, alias circa convictum & conversationem, alias deniq; circa contractus & commercia. *Magiro* placet distinctus rem gerere hoc modo. *Duo sunt,* inquit, *quibus virtutes à se distinguuntur 1. Affectus, quales sunt metus & fiducia, voluptas & dolor, Honoris cupiditas, deniq; ira. 2. Actiones, quales sunt pecuniarum debita tractatio, commerciorum & contractuum justa communicatio, & deniq; legitima conversatio.* Hanc expositionem sequitur etiam *Giphanius f. 141.* qui, quod apud *Scholiasten Græcum l. 4. Eth.* extet, affirmat.

12. *Burgersdicius in c.13.Epit.Moralis Phil* ex objecto dividit, *quod ipsi vel internum vel externũ est. Internũ sunt affectus; Externum vero personæ erga quas & res, in quibus virtus exercetur. Ex objecto externo virtus dividitur in pietatem (virtutem enim quandam DEUM*

ritè

rite religioseq; colendi ipsi nullum est dubium) & Probitatem. Hæc omnes complectitur virtutes, quibus hominis officia, vel erga se ipsum, vel ergà alios homines continentur atq; gubernantur. Virtus igitur vel nos dirigit in ordine ad nos ipsos vel in ordine ad alios. Si priori modo, vel versatur circa affectus, vel circa conversationes. Affectus Virtute dirigendi præcipuè tres sunt, Metus, Cupiditas, & Ira. Circa metum versatur fortitudo. Cupiditas vel in Voluptatibus vel in divitiis vel in honore cernitur. Circa cupiditatem voluptatum versatur Temperantia. Circa divitias & sumptus mediocres Liberalitas; circa Magnos Magnificentia, Circa honores magnos Magnanimitas, circa mediocres Modestia, circa iram Mansuetudo. In conversatione vel veritas spectatur vel jucunditas. Si veritas attenditur oritur Veracitas. Si Jucunditas in seriis ad totam vitam Comitas, si in jocis vere Urbanitas. In ordine ad alios non dirigit Justitia, cujus duæ species ab Aristotele ponuntur. Commutativa scilicet & Distributiva, quarum specierum explicatio l. 5. Eth. occurrit.

13. Nostra sententia est, firmam demonstrationem hujus rei hactenus à nullo Authore excogitatam fuisse. Nam in nullâ assignata divisione expositum est fundamentum firmum alicujus collectionis necessariæ sed omnes sunt arbitrariæ & ex rei natura minimè deductæ. Fortitudo enim (ut de prima divisione in specie aliquid notem) versari circa mala externa extra controversiam est; cur autē non poterit etiam corporis rationem attendere. Certè neq; Temperantia immediatè corpus conservat, sed affectus moderatur, qui si ex rectâ ratione moderari debent, non possunt non etiam corpori prospicere: Ita etiam Fortitudo corpus non negligit, licet enim mortem timeat, tamen nihil intermittit, quo corpus ab illatis injuriis defendatur.

14. Sic etiam in altera *Magiri* affectus non posse excludi ab actionibus, ipse Giphanius observavit, ut ipsius verbis respondere & ipsi & Magiro possimus. *Hæc partitio ita est accipienda,* ait f. 142, *ut eas virtutes, quas in actionibus cerni diximus, etiam perturbationibus nonnihil moderandis attribuamus interdum v. g. Justitia temperat* πλεονεξίαν *nimiumq; habendi studium. Ita igitur accipienda est hæc*

altera

altera divisio: ut magis perspicuè & apertè virtutes ejus partiū in fa-ctis cernantur, obscurius in perturbationibus. Atqui quis exinde non accidentale discrimen animadvertit.

15. Plura in *Burgersdicio* animadversione digna sunt. 1. enim illas virtutes, quæ in primâ divisione ex objecto interno & affectibus distinxerat in secundâ ad personas & res refert. 2. Confunduntur res & personæ in objecto externo. 3. quæro, an pietas & probitas referantur ad res, an ad personas. Si prius, Ergo Homiliticæ virtutes non sunt virtutes. Si posterius, Ergo Justitia non est virtus. 4 Pietas hujus loci non est. Uti enim rectè observat *Hornejus c. 2. ult. f. 30.* aut per pietatem intelligitur amor erga parentes & ita non est virtus, sed στοργὴ & affectus naturalis; aut cultus nominis DEI. Atqui colere ritè DEUM Ethica non novit, neq; viribus humanis peragitur, multò minus, quod nos addimus & præcipuum est, ad Politicas virtutes pertinet. Omnes enim ad actionem Moralem & Rempublicam referendæ sunt, ut beneficio harum Respublica moderetur & constituatur, & constituta conservetur. Atqui cultus DEI non est actio Civilis, uti de se constat. 5 Anne virtutes Homiliticæ non versantur circa alios? cur ergo soli Justitiæ has tribuit partes.

16. Nos tam diu Aristoteli adhærebimus. donec quis vel numerum earum superfluum vel nimis strictum ostendet, quod ad Calendas Græcas fieri posse nobis penitus hactenus persuasimus. Iis etiam, qui Beneficentiam & Misericordiam adducunt, non difficile est respondere. Sub Liberalitate enim ambæ continentur, si modo Misericordiam non pro affectu & pro nudâ animi commotione, sed pro habitu, quo misericordiam exercemus, sumseris: Pauperi enim sæpè dare, & miseriam ejus sublevare, liberalitas est.

17. *A FORTITUDINE* exorditur Aristoteles. Quœ an Politicæ considerationis sit, posset alicui videri dubium. Fortitudo enim in bello experientiâ & usu acquiritur: de illa igitur etiam judicabit, qui, quod bellum non sit bellum, id est dulce, expertus fuit, & aliquoties aciei & præliis interfuit, in quorum numero cum pauci hodiè Philosophorum inveniantur, verendum, ne ipsis eveniat,

quod

quod olim Phormionis Peripatetico celeberrimo. Hic cum aliquot horas coram Hannibale de officio Imperatoris deq; omni re copiosissimè differendo consumsisset, interrogatus Hannibal, quid de eo sentiret: *Multos se deliros senes vidisse*, respondit, *sed qui magis quam Phormio deliraret, se vidisse neminem.*

18. Omninò tamen Philosophorum est, de Fortitudine dispicere. His enim incumbit virtutum genuinam indolem exponere, & quid distent æra lupinis (sæpè ut ait Juvenalis:

fallit enim vitium specie virtutis & umbra

vel ut *Gregorius dist.* 41. vitia hoc ingerunt & virtutes esse mentiuntur) annotare. Hujus idem est Reipubl. prospicere ejusq; curam suscipere. Hoste autem Rempublicam affligente, quid superest, nisi fortitudine bellica sibi consulere, hostemq; ab imperii finibus arcere.

19. Distinguendum autem probè, est inter ipsam fortitudinem bellicam, & ea, quæ hanc circumstant. Politici officium est objectum fortitudinis, & in quibus verè consistat fortitudo, ritè constituere, & in id incumbere, ut verâ fortitudine, abjecta audaciâ, assuescant homines, qui incipiunt ὀνομάσαι ἀρετήν τὴν μοχθηρίαν, uti *Aristophanes*, sivè uti *Æschinus* loquitur καλλίστοις ὀνόμασιν αἰσχίστας πράξεις γράφειν: Sæpè enim fit, ut quod olim *Cato apud Plutarchum* conquerebatur: *Jam pridem vera rerum vocabula omisimus, bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, eo Respublica in extremo sita est*, Quod si Politicus præter hæc etiam de acie, præliorum loco, tempore, commoditatibus agere voluerit, quod artis militaris est, facile fine suo excidet.

20. Imprimis etiam attendat Politicus, cum quibus ipsi negotium est. Apud Juniores commodè de Fortitudine differere ut pulchritudine, utilitate, gloriâ, quæ fortem virum sequi solet, alliciat, efficiatq; ut turpi otio abstineat, animumq; in patria defendenda firmet. In consessu exercitatorum militum verò si cui Politicorum loqui integrum fuerit, neq; hoc ipsi vitio verti poterit, si

de caussa & fine belli cum illis egerit. Ita enim & exercitatissimos monebit, ne prædæ, divitiarum, laudis & vanæ gloriæ caussâ bellum suscipiatur, sed solæ honestatis & quæ ab hac non excluditur, salutis publicæ ergò. Quod si autem quis de acie instituenda deq; aliis officiis militaribus verba fecerit, stolidè sine dubio esset & Hannibalem (i. e. virum fatis & discriminibus Martis per omnem vitam agitatum) docebit:

21. Primo loco Fortitudinem omnes cum Aristotele ponunt, pauci autem hujus rei caussam indigitant. Quidam quidem hoc propter ipsius fortitudinis præstantiam factum putant. Quemadmodum enim in magnarum ædium vestibulis pulcherrimæ columnæ ac statuæ collocari solent: Ita in ipso virtutum ingressu omnium virtutum moralium nobilissimam ac præstantissimam collocatam indicant. Ad quos *Sigismundum Evenium disp. 5. theor. 1. th. 4.* refer cum aliis, qui ex utilitate probant. Splendor enim *inquit Evenius*, & usus in Republ. facilè primarius est. Salutatur quidem Justitia virtutum cœterarum Regina; Temperantia custodia Prudentiæ saluberrima; Liberalitas DEO similima; Fortitudo autem Rempublicam tuetur & conservat, quæ nullum vel fatum vel fortunam in boni publici gratiam detractat, etiam deteriorem ut *ait Scalig. l. de re Poët. c. 19.* Accedit objectum ejus, pergit maximè arduum, quod est mors bellica τῶν φοβερῶν φοβερώτατον. Cum ergo virtus sit circa maximè ardua περὶ χαλεπώτερον ἀεὶ ἡ τέχνη γίνεται καὶ ἀρετὴ 2. Eth. 2. primo hanc habendam loco nemo dubitabit.

22. His tamen vix accesserim. Non nego quidem *Xenophontem l. 3. παιδείας* fortitudinem μεγίστην ἀρετὴν & *Plutarch. in vita Cariolani* μάλιστα τῆς ἀρετῆς, quum dicit: ὅλως μὲν οὖν ἐν τοῖς τότε χρόνοις ἡ ῥώμη μάλιστα τῆς ἀρετῆς τὰ περὶ τὰς πολεμικὰς καὶ στρατιωτικὰς ἐκύδαινε πράξεις. ὧ καὶ μαρτυρεῖ τὸ τὴν ἀρετὴν ὑπ' αὐτῶν ἑνὶ τῷ τῆς ἀνδρείας ὀνόματι προσαγορεύεσθαι, ut & *Ciceronem unum cœteris* excellentem l. 2. Tusc. vocare: sed hoc ab Aristotele alienum est. Nam *l. 17. probl. sect. probl. 5.* Fortitudi-

titudinem præcipuam esse negat. Unde etiam præclarè *Agesilaus*, *teste Plutarcho* interrogatus, Justitiane fortitudini, an Justitiæ fortitudo præstaret? *si omnes*, inquit, *homines justi essent, nihil opus foret fortitudine: at si omnes fortes, tum vel maxime justitia necessaria esset.* Quod *l. 3 Top: c. 2* expressis exposuit verbis: Quæ seipsis contenta sunt, aut meliora sunt, quam quæ egent aliis, ut in Justitia & Forritudine cernere licet. Nam si justi essent omnes, nihil loci esset fortitudini: at si fortes omnes essent, justitiam requirerent. Ude *l. 8. Eth. c. 1.* inquit: φίλων ὄντων ὐδὲ δεῖ δικαιοσύνης. Justitiæ itaq; primas deferunt Connimbricenses *Disp. Ethic 9. q. 1. art. 1.*

23. Alterum facilè largior, objectum scil. fortitudinis esse maximè arduum, sed an ex eo prioritas quædam, de qua nemo dubitare possit, elicienda sit, ego valdè dubito, ut existimem *cum eruditissimo Mureto* h. l. quod licet Temperantia & Fortitudo reliquis virtutibus faciliores sint, tamen inter temperantiam & fortitudinem ordinem arbitrarium intercedere. Aristotelem autem communi hominum judicio hac in parte aliquid tribuisse, qui plurimum fortitudini deferunt, penitus judicio. Qua de re prolixè & eruditè agit *M. Antonius Muretus f. 225.*

24. Hactenus de Fortitudinis generalibus; Est quod ad interiora nos conferamus, & in quo ejus natura consistat, subjungamus. Hoc ut fiat, objectum ejus, eâ, quâ par est, diligentiâ considerandum est. Ex objecto enim omnia petenda sunt, quæ in Virtutum speciali expositione occurrunt, quæ si cum generalibus supra expositis quis conjungat, exactè de unâquâq; virtute in specie judicare poterit.

25. Est autem Objectum Fortitudinis duplex: Internum alterum, alterum Externum. *Internum* est metus & fiducia, quamvis metus prærogativam habeat. Nam quia metus versatur circa mala, ex parte tamen nostri, Fiducia circa bona, ideò etiam difficilius est, metum ad mediocritatem redigere. Fortitudini igitur magis consentaneum est res molestas ferre, quam à secundis abstinere, vid. *l. 3. Eth. c. 9.* & *l. Magn. Mor. c. 21.*

26. Objectum *Externum* sunt φοβερὰ καὶ θαῤῥαλέα *l. 3.*

Eth. *c. 9. & l. 3. Eudem. c. 1.* magis tamen φοβερὰ l. c. ut hæc rectè *Keckermannus l. 2. Syst. Eth. c. 4.* primarium objectum dicat, qui tamen in eo excusari nequit, quod θαρραλέα definiat, quod sint ea, quæ requirunt animi confidentiam, quasi sc: ipsa φοβερὰ etiam animum confidentem non requirerent.

27. Cæterum Aristoteles in Nicomachicis terribilia dicit esse ea, quæ sunt mala, quoniam metus definitur ab omnibus, imprimis apud *Platonem in Protagora & Lachete* προσδοκία τοῦ κακοῦ l. c. c. 6. § 3. affectus qui nascitur ex opinione & expectatione mali imminentis. Qua definitione etiam usi Stoici teste *Laërtio in Zenone* & Cic. 4. Tusc. extrema. Si spes, inquit, est expectatio boni, malè expectationem necesse est, esse metum. Quicquid ergo metum infert, id malum est, vel saltem malum videtur *l. 2. Rhet. ad Theost. c. 5.* Notanter dixi in *Nicomachicis*. Aliter enim in Eudemiis φοβερὰ accipit Philosophus. Nam *l. 3. c. 1.* illa terribilia dicuntur, quæ habent vim inferendi dolorem corruptivum, quomodo ignominia paupertas *l. 3 Eth. Nicom. c. 6.* terribilia dicuntur, quæ tamen naturam non corrumpunt.

28. Sunt autem hæc terribilia duplicia: Quædam enim debent metui ab omnibus & qui ea non metuit imprudens est v. g. abnegare religionem, prodere patriam &c. Quædam possunt citra reprehensionem metui vel non metui, v. g. Invidia, paupertas, exilium &c. Metui debent, si nostra culpa obveniant nobis, ut si propter culpam quis in carcerem conjiceretur, aut propter prodigalitatem ad paupertatem redigeretur. Non debent metui si præter meritum nostrum accedant à caussâ extrinsecâ.

29. Hinc c. 7. §. 1. Terribile quod pro objecto Fortitudinis agnoscendum est vult non debere esse supra hominem, qui mentem habet, qui idem ibid: dicit de θαρράλεοις. *Nam fortis,* subjungit, *terrore vacat ut homo. At metuit quidem talia, sed ut oportet & ut ratio dictitat.* Hinc Fulmina & terræ motus meritò vir prudens metuit: supra enim hominis virtutem & constantiam positi sunt.

30. Non ergò unum & idem est ἀφοβία & ἀνδρεία. Unde & *Pla-*

& Plato in Lachete ἄφοβον καὶ τὸ ἀνδρεῖον οὐ ταὐτόν ἐστιν, ἀλλὰ τὸ μετὰ φρονήσεως. Idem *Plutarchus in Agide* probat, quando dicit: ἐστὶ δὲ Λακεδαιμονίοις οὐ φόβου μόνον, ἀλλὰ καὶ γέλωτος, καὶ τοιούτων ἄλλων παθημάτων ἱερά. Τιμῶσι δὲ τὸν φόβον οὐχ ὥσπερ οὓς ἀποτρέπονται δαίμονας, ἡγούμενοι βλαβερὸν, ἀλλὰ τὴν πολιτείαν μάλιστα συνέχεσθαι φόβῳ νομίζοντες. Et paulò post: καὶ τὴν ἀνδρείαν δὲ μοι δοκοῦσιν, οὐκ ἀφοβίαν ἀλλὰ φόβον ψόγου, καὶ δέος ἀδοξίας οἱ παλαιοὶ νομίζειν, ἡ γὰρ δειλότατοι πρὸς τοὺς νόμους θαρραλεώτατοι πρὸς τοὺς πολεμίους εἰσι καὶ τὸ παθεῖν ἥκιστα δεδίασιν οἱ μάλιστα φοβούμενοι τὸ κακῶς ἀκοῦσαι. Hanc tamen veram fortitudinem esse Aristoteles Plutarcho non concederet, uti rectè observat Muretus.

31. Malorum autem terribilium maximum & terribilissimum est mors πέρας γὰρ καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ, οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακὸν εἶναι *l. 3. c. 6 f. 3. in fine.* Terminus enim est & nihil amplius mortuo videtur esse neq; bonum neq; malum. Omnia scilicet, vitæ commoda & hanc ipsam lucem nobis tollit, inquit *Cicero l. 2. Tuscul & l. 1. Tuscul.* dicit, mortuos omnibus vitæ commodis carere. Unde hoc loco dicit Philosophus, eam ob rem etiam viros præstantissimos mortem exhortescere. Nam ut ait Theocritus ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.

32. Quibus non obstat, 1. quod Mors non videatur φοβερώτατον sed optatissimum perfugium ærumnarum vitæ portus miserorum & effugium miseriarum, uti ait *Artabanus apud Herodotum* cui adstipulatur *Cic. l. 5. Tusc.* Imprimis autem mors Christianorum pretiosa est. Pretiosa planè, exponente *Bernhardo in transl. Malach.* tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conservatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressio. 2. Quod servitus, Carcer, exilia sint longè terribiliora morte Quis namq; non mallet semel mori, quam aliquod annos captivitate tormentis Turcicæ Tyrannidis exponi.

33. Nam 1. dubium est, an servitus sit minus tolerabilis morte. Certè servitutem ex beneficio Imperatorum introductam, ut quos

quos occidere poterant in bello, servarent, notum est. *Ut servos à servando dictos* ipse annotet Imperator § Servi Instit. de Jure personarum. *Servi ex eo appellati sunt*, ait, *quod Imperatores captivos occidere* (sub corona sc. uti habet Gell. l. 7. c. 4. Plaut. in Pers. & l. Pupill. 239. § 1. d. V. S.) *ac per hos servare nec occidere solent.* Qui etiam mancipia dicti sunt, eoque ab hostibus manu capiuntur, vid. Varro l. 5. de Ling. lat. & Macrobius l. 3. Satyr. c. 7. Possent itaq; magis mortem, quam servitutem expetere, si hæc ipsa non videretur tolerabilior.

34. Potest sc. unum altero esse majus simpliciter, licet sit minus eo ipso secundũ quid, quomodo homo simpliciter nobilior est Ilice, quæ tamen ipsum vivacitate superat; ita & mors simpliciter est res terribilissima, quatenus omnia homini sine ulla spe adimit, servitus autem, exilia sunt tolerabiliora ratione durationis: diu enim hominem crucianr, quæ tamen non destruunt fortem animũ, sed potius augent atq; firmant. Unde etiam multi, etiamsi variis infortunii telis exponantur, tamen quando mortem ipsis accelerandam animadvertunt, pejora quoq; toleranda magis, quam diem decretorium expetere, sibi ex usu fore putant. Notum est, post senem Æsopicum animam ob onus super impositum exhalantem penè, & tamen mori nolentem, votum *Mœcenatis*: Debilem facito manu,

Debilem pede coxat
Tuber astrue giberum:
Lubricas quate dentes
Vita dum super est, benè est.
Hanc mihi vel auctam
Si das, sustineo crucem.

35. Piis mortem non tam vitæ exodium quam exordium esse faciles largimur, sed cum virum fortem ratione civilium actionum tantum consideremus, etiam hoc dubium nullum est, ut thesin Arist: destruat, quamvis & adhuc diversitas quædam, quæ facile oppositionem tollere potest, occurrat. Mortem igitur & formidabilem & optatissimam diverso respectu dicere nihil vetat. Formidabilis enim est, qua ultima linea rerum, destruitq; omnia bona, tollitq; ipsam lucem, uti supra Cicero dicebat; Optabilis tamen prout est destructio omnium malorum.

36. Cum

36. Cum autem non ſit unum mortis genus, ulterius cum præceptore exponendum quænam mors hoc loco intelligatur. Nam propter mortem, quam quis in maris tempeſtate vel morbo correptus ſubire cogitur, haud aliquem debere fortem ſalutari, perſpicuum eſt: Imò exemplo *Æneæ l. 1. Æneid.* Ulyſſis *apud Homerum in Odyß.* E. & *Ajacis apud Sophoclem in Ajace* patet, qui ægerrimè hanc mortem tulerunt, graviſſimèq; conqueſti ſunt ſe in gloriam mortem, nempe in mari non ocio glorioſam in prælio obire debere. unde ἀπεγνώκασι τὴν σωτηρίαν deſperare de ſalute c. 6. §. 4. καὶ τῶν θανάτων τοιούτων δυσχεραίνουσιν, multo minus ex ſupplicio, ſed ex bello, quatenus fortis mortem pro religionis, libertatis, patriæ &c. defenſione oppetit. 3 Eth. c. 6. Nam pro bona cauſſa mori, honeſta eſt turpitudo, quæ vitam etiam turpem, ſi credendum *Ciceroni* exornat. Inde *Iſocrates* it: *Evagora.* ἀντὶ τοῦ ζῆν ἀποθανεῖν εὐκλεῶς αἱρεῖσθαι δεῖ. Et Virgilio nihil magis frequens quam *l. 4. Georg. & l. 2. Æneid:*

Pulchrumq; mori ſuccurrit in armis. *Et l. 9. & 10. Æneid:*
Pulchramq; petunt per vulnera mortem. *Et Horat:*
Dulce & decorum eſt pro patriâ mori. *Nec non Euripid:*
Τρῶες δ' πρῶτον μὲν τὸ κάλλιστον κλέος
ὑπὲρ πάτρας ἔθνησκον.

37. Itaq; omnis veterum Rhetorum eloquentia conſumta eſt in laudandis trecentis illis Lacedæmoniis, qui Leonidâ duce cum ſeſe in Thermopylarum anguſtiis exercitui Xerxis opponere auſi eſſent, occubuerunt pro patria, primiq; Xerxem, non multitudinem, ſed virtutem in militibus ſpectari debere, docuerunt, quorum imperatur quanto opere mortem ipſe pro patriâ appetendam potius, quam refugiendam duceret, ut hæc ipſius vox declarat: *Pergite animo forti Lacedæmonii, hodie apud inferos fortaßè cœnabimus* & ex eo Phocenſes & alios dimittens dixit: *Ego cum Spartanis meis hic manebo, quia haud ex dignitate facturi eſſemus, ſi ſtationem noſtram deſereremus; decet namq; nos, ut Græciæ Principes præſtantius aliquid & difficilius aliquid cæteris aggreſſos fortiter occumbere.* Inde quod à Frontino additur, cum à multis terreretur, ne cum Perſis negotium

rium ei esset, fore enim ut illi sagittarum multitudine nubem facerent: *Belle*, inquit, *& probè: Si enim in umbra pugnabimus, neq; sol æstu suo nobis molestus sit.* Huc refer etiam Epaminondam, Codrum, tres Decios, duos Scipiones, L. Æmylium Paulum M. Claudium Marcellum ac alios innumerabiles, quorum gloria iisdem, quibus solis cursus, regionibus continetur. Inde etiam Imperator: Per gloriam, inquit, vivant, qui in acie pro patria occubuerunt §. *1. Institut. de Excusat. Tut. & l. de bello amissi ff eod. titulo.*

38 Unicum priusquam hinc abeamus, notandum est, Aristotelem non illum fortem dicere, qui mortem in decem annos aut periculum aliquod longè positum non metuat. Hunc enim potius extra periculum quam in periculo esse, quilibet facilè animadvertit; sed præsentem. Inde in Græco textu non sine caussa adjecit καὶ ὅσα θάνατον ἐπιφέρει ὑπόγυια ὄντα, quæcunq; mortem afferunt, cum ὑπόγυια sunt. Ubi quæstio exsurgit, quomodo τὰ ὑπόγυια debeant reddi, an repentina, an propinqua. Utramq; enim expositionem vocula hæc admittit. Posteriorem enim *l. 2. Oecon.*, ubi aut ὑπογύου δ' οὔσης ταύτης τῆς ἑορτῆς cum dies festus instaret, & Isocrates in Antidosi innuit, ἤδη δ' ὑπογύου μοι τῆς τοῦ βίου τελευτῆς οὔσης jam vitæ exitu propinquo & instante, Posteriorem verò l. 1. Rhet: Arist: αἱ μὲν νομοθεσίαι ἐκ πολλοῦ χρόνου σκεψαμένων γίνονται· αἱ δὲ κρίσεις ἐξ ὑπογύου. Hinc Suidas reddit ἀπερισκέπτως quam expositionem neq; renuit Isocrates in Panegyrico: προφασίζεις ὡς ἐξ ὑπογύου γέγονεν αὐτοῖς ἡ παρασκευή.

39. Posteriori inhæsit Heinsii paraphrastes l. 3. c 7. quando ita παραφράζει textum, quem jam præ manibus habemus: ὥστε λέγοιτο ἂν ἀνδρεῖος ἤτοι ὁ περὶ τὸν καλὸν θάνατον μὴ αἰσχρὸν ἀδεής καὶ ὅσα θάνατον ἐπιφέρει αἰφνιδίως οἷα εἰσι τὰ ἐν τῷ πολέμῳ. ὁ γὰρ αἰφνιδίως ἐπερχόμενα δεινὰ καρτερῶν ἀπόδειξιν ἐναργῆ παρέχεται τοῦ περὶ ἕξιν ἀνδρείας ἐληλακέναι. De posteriori posset quis existimare, Aristotelem locutum. In repentinis enim videtur major ratio Fortitudinis occurrere, unde prævisa tela minus nocere in communi proverbio dicuntur, difficilius enim videtur majorem

jjorem metum & minorem fiduciam, quæ in subitaneis reperitur, moderare. Prævidens enim pericula appetitum commodius domare, rationiq; subjicere; sed & melius media externa, quæ ad exornandam fortitudinem requiruntur, assumere potest, quæ subito agentibus denegantur. Ad quod accedit, quod brevius temporis spacium in subitaneis ad agendum concessum sit, quod arguit præstantiorem indolem actionis. Illa enim præstantior est, quæ cœteris paribus breviori temporis spacio perficitur. Demonstrat enim præstantiam agentis. Agens namq; debilius pro edenda operatione perfecta longiorem temporis moram requirit. Cujus rei rationem rectè assignat *Dorbelli in Comm.* à qua non multum recedit *Horn. l 3. c. 7. n. 4. in fine*, quod repentinæ actiones necessariò ex habitu sint; prævisæ vero ex solo consilio & ratione proficiscuntur, quam tamen nos vix admittere possumus. Nam 1. de eo non est quæstio, qui non ex habitu & recta ratione agit. Ille enim minimè fortis est. ulæ. Falsum est, quod repentinæ actiones semper ex habitu fiant, sœpè enim à desperato animo proficiscuntur. Incidens enim quis præter opinionem subito in vitæ periculum nullamq; evadendi viam videns, sæpè leonino animo pugnat, qui si periculum prævidisset, pedibus potius sibi consuluisset.

40. Nam extra oleas fortè censebimur, si verbo caussam, quod tela prævisa minus noceant, attingamus. *Alexander Aphrodisaeus l. 1. probl. 7. & Mercurialis l. 1. Pract. c. 1.* eo videntur inclinare, ut dicant nocumentum non inferri corpori sine alteratione, quæ semper cum eo, quod alteratur, pugnat. Quando autem illud, quod corrumpere & dolorem inferre potest, prævidetur, autumant animum præviis cogitationibus humores ad partium corporis constitutionem reddere aliquo modo similes rei alteranti indeq; leviores alterationes exsistere, minoresq; dolores in subjecto patiente excitari credant. Cui experientia dicam non scribit, quando in nocturnis subitisq; tumultibus vulnera nobis inflicta minus dolere comperimur. Major enim omnino est impressio & vehementio alterationis corrumpentis alteratim licet sensus istius impressionis non tam vehemens sit, quam læsio nobis de ea cogitantibus evenit.

Animus enim aliis rebus intentus & affectuum gravitate obrutus non percipit id, quod inopinatò accidit.

41. Quamvis autem hæ omnia non inviti concedamus, tamen h.l. verbum ὑπόγυια explicandum nihil est, quod nos cogat. In cap. enim oct: fine hujus 3.l de illis ex professo aget, ut malimus τὰ ὑπόγυια ὄντα magis propinqua seu instantia quam repentina addere. Quam nostram expositionem ex ipso Aristotele l. 3. Eudem. c. 1. & l. 1. Magnor. Moral. hausimus. In illo enim, quod hîc ὑπόγυια, ibi πλησίον φαινόμενα vocat καὶ οὐ πόρρω. In Magnis verò Moralibus ut pericula, in quibus fortitudo cernatur, non debere esse cujusvis temporis, sed propinqua. Nam, inquit, si quis decimo post anno futurum non metuerit periculum, quonam pacto fortis? Sunt enim, quod longè absint, fiducia pleni, qui si fuerint proximi, moriantur metu.

42. Quibus absolutis facile est, definitionem Fortitudinis colligere, quod sit Virtus moralis circa metū atq; fiduciā occupata, quæ in adeundis, perferendis laboribus atq; periculis, ipsaq; morte mediocritatem observat, honestatis & publicæ utilitatis gratia.

43. Actus igitur Fortitudinis in genere sunt, timorem & fiduciam ad mediocritatem redigere. In specie autem duplex, sustinere nimirū & aggredi. *Aggrediendum 1. Cautè.* Huc enim locum habent: Neq; temerè, neq; timidè. Non enim temerario ausu quæcunq; pericula subeunda sunt, ne, qui periculum amat, in eo pereat. Nam consilia audacia, inquit *Livius*, prima specie læta, tractu dura, eventu tristia esse solent. Fortis ergò φιλοκίνδυνος sit & consiliorum genera ἀβουλία γδ teste *Sophocle* κάκιστον τῶν κτημάτων. Ubi interdum si fugere & cunctari à re sua viderit, non detrectabit. Fortis quidem ἀνέκπληκτος est, sed ὡς ἄνθρωπος teste Philosopho, qui quomodò oportet, & ut ratio præscribit honestis gratia metuit. Sapiens enim Fortitudo, inquit *Scalig. l. 3. de re Poet c. 9.* victoriam non in morte, sed in facto ponit.

44. *Persistendum animosè est.* Præstolabit igitur fortis adventum hostis, vel etiam aggredietur necessitate exigente. Neq; hoc

hoc ipsum sine ratione, qua & hic εἰς ἀγαθὸν καὶ νόον ἐσθλὸν ἄγει ut *Theognis* loquitur:

Pugnandum est, nulli veniunt sine morte triumphi,
Et nisi certanti nulla corona datur.

45. *Pugnandum viriliter & in id sedulo incumbendum est,* ut hostis lædatur, quocunque id modo fieri poterit, modo fides, quam fallere religio est forti, non violetur. An etiam Stratagemata & dolus in vincendo hoste approbari debeant dubitatur. *J. Lipsius l. 5. Polit. c. 17.* non negat. *Ut enim Venator feras quasdam vi & manu interficit, quasdam occultus subsistens laqueis aut retibus captat: ita sive dolo; sive stricto cominus ense hostem quis interficiat, parum vel nihil refert.* Aliter visum fuit magnanimis quibusdam & generosis ducibus, quibus nunquam placuerunt ejusmodi κλοπαὶ τῶν πολέμων, uti *Thucydides* vocat vel ex Alexandri Magni responsione constat, quod *Arrianus* habet, quũ dicere consuevit: αἰσχρὸν εἶναι κλέψαι τὴν νίκην, ἀλλὰ φανερῶς καὶ δίχα σοφίσματος χρῆναι νικῆσαι τὸν Ἀλέξανδρον, id est, Turpi Imperatori esse furari victoriam, sed Marte aperto & sine dolo vincere oportere. Hinc interrogatus, qua ratione tantas res gessisset tam brevi tempore, respondisse Authore *Plutarcho* dicitur: μηδὲν ἀναβαλλόμενος. (A quo tamen parens abiit Phil: Maced: ἢ δόλῳ, inquiens, ἢ βίῃ· ἢ ἀμβαδὸν, ἠὲ προφανδὸν) Penitus Alexandrum Romanus senatus de quo *Tacitus l. 2. extremo* Reperio apud scriptores temporum Adgandestrii Principis Phattarum lectas in Senatu literas, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur, responsum esse, *non fraude, nec occultis, sed palàm & armatum Populum Romanum hostem suos ulcisci.* Qua gloria æquabat se Tiberius, ait Tacitus Persicis Imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem retulerant. Hinc *Ennius de Pyrrho:*

Nec mî aurum posco, nec mî pretium dederitis
Nec componantes Bellum, sed belligerantes
Ferro, non auro vitam cernamus utriq;.

Quam tamen controversiam nostram hoc loco non facimus: videatur, *Hugo Grotius in tractu de Jure pacis & belli.*

 46 Per-

46. *Perferendum deniq; est viro forti constanter.* Animum itaq; obfirmet ad quævis ingruentia pericula. Fortitudinis enim proprium est, ait Cic. l. 3. Offic. omnia humana despicere, nihilq; quod homini accidere possit, intolerandum putare. Hinc sine molestia agit, quicquid agit, fortis. Licet enim σαρκικὸς sit *lib. 3. Eth. c. 12.* lætatur tamen ex animo ob patriæ salutem, quæ vita charior est Ciceroni *1. Catilin. & Platoni l. 5. de LL.* magis amanda, quam mater, cum sit divinum quoddam. Quemadmodum itaq; pugiles non curant vel vulnera vel plagas modò de victoria certi sunt; ita & virum fortem non hostium ardor, non vultus instantis Tyranni secundum *Horat. l. 3. od. 3.* mente quatiat solida. Licet ergò corpori dolor inferatur, animus tamen gaudet effectum, norit enim quod *Plautus in Asin.* habet: *Fortiter malum qui patitur, post potitur bonum.* Hinc *Plutarchus*: ἐὰν μέλι ζητῇς κέντρον μελίττων φέρε. Apum stimulas feras necesse est mel si petas.

47. Opponitur Fortitudini *duplex excessus & duplex defectus*. Cùm enim objectum virtutis & θαῤῥαλέα & φοβερὰ sint, uti supra evictum, & in utroq; genere & actus positivus & omissivus secundum ea, quæ supra Disp. 5. §. 9. diximus, occurrat inde & excessus & defectus & ratione φοβερῶν & ratione θαῤῥαλέων conspiciatur necesse est.

48. *Defectus in metu* ἀφοβία aut ἀναλγησία potest dici. Latinè non malè redditur *metus vacuitas*, quando quis non metuit, quæ tamen metuenda erant, in quorum classe Celtas olim fuisse vulgò (aliter enim *Posidonium & Strabonem l. 7. descriptioni Germaniæ* hac de re loqui suo more, id est eruditè, demonstravit *Horneius in notis ad l. 3. Ethic.*) creditur, qui uti ex lib. 2. Eudem. constat cum Illustribus congrediebantur οἱ κελτοὶ πρὸς τὰ κύματα, inquit, ὅπλα ἀπαντῶσι λαβόντες. Inde *Camerarius in Comm. l. 3. Eth. c. 6.* refert ex cujusdam Nicolai libro, cui ille titulum fecit συναγωγὴ ἐθῶν, ὅτι κελτοὶ τῷ ὠκεανῷ γειτνιῶντες, αἴσχιον ἡγοῦνται τοῖχον καταπίπτοντα ἢ οἰκίαν φεύγειν πλημμυρούσης δὲ ἐκ τῆς θαλάσσης ἐπερχομένης, μεθ' ὅπλων ἀπαντῶντες ὑπομένουσιν, ἕως κατακλύζονται.

ζονται). ἵνα μὴ δοκῶσι φεύγοντες τὸν θάνατον φοβεῖσθαι. Ideò etiam *Æliano teste l. 12. Var. Histor*, Alexandro Magno hoc responsum reliquerunt, se unicè timere, ne cœlum rueret.

49. Aliàs de Canniis refert Herodotus l. 1. *eos annatos aerem hastû pulsasse dicentes, se ejicere Deos peregrinos.* Et lib. 4. de Phyllis, *qui arma contra austrum ventum capiebant, quod injuriâ se ab eo affectos dicerent.* Quorum tamen insaniam nemo non ridet: Non enim est vera fortitudo, inquit *Agellius l. 12. c. 5*, quæ contra naturam monstri vicem nititur, ultraq; modum ejus egreditur, aut stupore animi aut immanitate. Furiosus itaq; & insanus *Cleomes Spartiata apud Herodotum*. Is enim nactus ferrum, cæpit suras primùm lacerare, & longis vulneribus carnem scindere: & inde pergens ad femora & coxas & lumbos, tandem pervenit ad alvum, quâ dissecta & intestinis concisis, ita tandem mortem oppetiit.

50. *Excessus* verò *in metu* δειλία Timiditas sive ignavia dicitur quando quis metuit, quæ metuenda non sunt, aut nimis metuit, quæ metuenda erant mediocriter. Hinc ejusmodi homines vel detrectant omne periculorum genus, vel si quæ subeunt, non ferunt satis constanter; sed fugiunt ac deserunt stationem. Famosissimum Timiditatis exemplum post se reliquit *Aratus Sicionius Dux Achelorum* qui quoties aciem instruxisset & tesseram dedisset, rectè ab acie recedere solitus est, & centuriones percunctari, ecquid suâ præsentiâ opus foret? Jactam enim jam esse aleam. Atq; ita digrediens, quam longissimè eventum pugnæ expectabat. Unde&illa in Persa Ego nunc quod non futurum est, formido tamen.

51. Eodem nomine appellatur *defectus in fiducia*, quando quis animum despondet neq; in periculis neq; adeundis vel perferendis præsenti est animo. Fortis enim dum spirat, sperat. Nam uti *Cicero habet in Rhet.* Fortitudo est immobilis inter adversa animi claritudo, res arduas pulchrè administrans, quæ nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo elevatur.

52. Huc pertinent αὐτόχειρες uti nemini non ex c. 7. § 100. constare potest, ubi obprimâ rationê ibidem allatâ, quam etiam habet *Josephus l. 3. Exilii Hierosol. c. 21. Plutarch. in vita Cleonis & Augusti.*

gust. l. 1. *de Civ. D. c.* 21. ad molles & fractos referuntur. Viri enim fortis est, gravia in commoda, dolores aut calamitates perferre. Hinc *Silius Italicus*:

Explorant adversa viros perq; aspera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

53. *Excessus* in Fortitudine vocatur θρασύτης sive audacia, quando quis se in periculum conjicit, ut videatur. Confidentiam scilicet audaces in ventre habent, *ut Comicus loquitur*, & Martem in lingua ventosa & fugacibus pedibus, ut jactent *cum illo Plautino in Captivis*: Meus est balista, pugnus; cubitus catapulta est mihi, Humerus aries: tum genu ut quemque icero, ad terram dabo, dentilegos omnes faciam mortales.

Ad

AD
Humanissimum ac Doctissimum
Dn. RESPONDENTEM.

LUCAS BACMEISTERUS.
per ἀνάγραμμα.
MACTE, SIS SULCA, UBER.

MACTE bonis animi, Juvenum flos optime, Luca
SIS SULCA, fructu sic erit UBER ager.

Ita deproperabat
M. Johann. Reinboth.

LUCAS BACMEISTER.
Anagramma
MASCULE CERTABIS.

BAcmeistere, *decus Patriæ, spes magna tuorum,*
Phœbi satelles inclyte!
Marcida qui fugiens ignobilis otia vulgi,
In arma Palladis ruis.
Non tibi magnanimos gelidus timor occupat artus,
Vel impotens ignavia.

Sed

Sed magis erectum prudens audacia pectus
Ad altiora provehit.
Hinc benè te video fortes intrare palæstras,
Bellumq; litterarium
In quo (si me non fallunt hæc omina) linguæ
Certabis *hastâ* masculè.

Joannes Mautnerus
Pannonius.

VEre novo, agricolæ spargunt ubi semen in arvum,
Optatos fructus tempore messis habent:
Sic varium exerces dum BACMEISTERE laborem,
Ingenium subigis fertilis instar agri.
Ergò metes fructus magno cum fœnore tandem,
Scilicet exiguo tempore CLARUS eris.

f.
Joh Reymers. L.